



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Cùm nonnulli mori potiùs optent, quàm famere, quærendum, an  
fames morte peior?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

rectè dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, qui homo sit, & idem, quod nos sumus? discordia igitur, atq; dissensio non est secundùm hominis rationem. Verumq; est illud Ciceronis, quod ait, hominem natura obedientem homini nocere non posse, ergo si nocere homini, contra naturam est: prod-esse igitur homini secundùm naturam sit, necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dissipiat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis, ac periculo subuenire. Quæro igitur ab ijs, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis; si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret; utrumne succurrendum putent, an minime? non sunt tam impudentes, ut negent, fieri oportere, quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumueniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur; num putent hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent. Nemo enim potest eiusmodi periculis non esse subiectus. Immo verò, & hominis, & fortis viri esse dicent, servare periturum. Si ergo in eiusmodi casibus, qui periculum vite homini afferunt, succurrere, humanitatis esse, concedunt, quid causa est, cur si homo esuriat, sitiatur, algeat, succurrèdum esse non putat? quæ cum sint paria natura, cum illis casibus fortuitis, & unam eandemq; humanitatem desiderent; tamen illa discernunt; quia non re ipsa vera, sed utilitate presenti omnia metiuntur. Illos enim, quos periculo surripiant, sperant sibi gratiam relaturos. Egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur, quidquid eiusmodi hominibus impartiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia.

*Malè meretur, qui mendico dat, quod edat.*

*Nam & illud quod dat, perit:*

*Et illi producit vitam ad miseriam.*

## CAPVT X.

*Pestifera grauius humani generis flagellum sit,  
an Fames?*

**S**I quemadmodum Ethnicus Poëta fortasse pro persona locutus est, idcirco nihil stipis dandum est mendico, ne illi vita ad miseriam producat; tunc utique vita famelica morte ipsa censetur peior. Et re ipsa peiorem censent, qui

I,

qui pro tali vita mortem optant, ut miseriam finiant. Tantò igitur famelici pauperes erunt misericordia digniores, quantò sunt miseriore, ut vivere velint, si habeant, vnde vivant. Hinc exillit scitu digna quæstio, sitne fames mortalibus plus timenda, quàm mors, immò quàm pestis ipsa? Hanc quæstionem, de duobus grauissimis mortalium malis, parùm gratam minùsque jucundam auribus putarem, nisi scirem, homines interdum ex tristibus etiam, horribilibus, acerbis, atrocibusque rebus voluptatem capessere. Id enim, nisi ita esset, neque historias de bellis, de cadibus & stragibus multorum, tanto studio legeremus; neque tragœdias tam auidè spectarem. Et quamuis de fame, deque peste audire, sit minùs jucundum, non tamen ea propter hac disputatione est abstinendum, cum in plurimis rebus vtile jucundo sit anteponendum; & hinc non solùm humanæ calamitatis cognitio possit hauriri, sed etiam, intellecta diuinæ justitiæ seueritate, horror scelerum queat nasci; hominumque pectora ad misericordiam commoueri.

II. Atque sanè multa sunt, quæ maiorem nobis luis pestiferæ, quàm famis timorem videntur incutere. Plus est enim esse, quàm non esse; & furor, censetur, *ne moriari, mori*. Qua de causa nemo est, qui non, vel solo nomine pestilentia audito, vehementer percellatur, omnibusque animi sensibus perhorrescat. Famem autem, si centies appelles, vix quisquam vel minimo metu concutitur. Vnde facillè intelligi potest, plus in illa, quàm in hac mali inesse; proindeque multò illam, quàm hanc formidabiliorem censendam. Cur enim nomen illud tantopere exhorremus? Certè non tam propterea, quòd mortem, quàm quòd tempus mortis longè miserabilius, longèque metuum magis hominibus plus còsuevit afferre, quàm soleat fames. Quos enim fames conficit, sensim deficiunt & extabescunt, tandemque viribus exhausti omnibus, quasi sine sensu expirant. Pests subito, vel paucorum dierum, immò paucarum horarum interuallo, cum ingenti æstu, cruciatu, & eiulatu, quos inuenit, è medio tollit. Quid autem subita, & præpropera morte horribilius? quid miserabilius, quàm modò vivere, ac paulò post lethifera contagione extingui? modò in hominum cœtu sedere, mox inter  
cadauc-

Martial. li 2.  
epigr. 80.